



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XXXIIX. De Jure patronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

2. Resp. secundò in eo, ex quibus hæc portio desumenda non conveniunt AA. desumendum tantum ex redditibus & fructibus Ecclesiæ unitæ certis, & non ex incertis proventionibus, ut sunt fructus stolæ, nimirum emolumenta provenientia ex administratione sacramentorum Baptismi, extremæ unctionis, benedictione nuptiarum, introductione puerperarum, funeralibus &c. tenent cum communiore Barb. L. 3. *Jur. Eccles. univ. c. 6. n. 44.* Leo *in thes. Eccl. p. 1. c. 31.* Pignat. *tom. 3. consult. 31.* Pirh. *ad tit. de preben. f. 1. n. 44.* & alii apud Reiffenst. *h. t. n. 13.* ex ea ratione, quòd vicario debeatur portio congrua certò sufficiens & ex proventibus Ecclesiæ, quales non sunt jura stolæ utpote fructus officii & laboris; & ne aliàs tales Vicarii occasionem sumant & veluti adigantur non sine nota avaritia, & quandoque injuriæ & simoniæ ad turpiter quærendas & directe vel indirecte sollicitandas oblationes & mercedem ex administratione Sacramentorum aliorumque munerum pastoralium. Unde murmuraciones plebis irreverentia & contemptus sacrorum. Contrarium directe æque probabiliter si non probabilius tenent Gonz. *ad Reg. Cancell. in proem. §. 7. n. 185.* Guttier *Conf. 8. à n. 3.* aliique apud Reiffenst. *n. 15.* & desumunt ex constit. Bullæ Pii V. *ad exequendam* (quæ etsi revocata dicitur quòd ad parochias unitas monasteriis per Bullam Greg. XIII. tamen iterum ab eodem revalidatam etiam quòd regulares, refert Gonz. *ad reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 3. n. 79.*) ubi expresse, quòd dictæ congruæ summæ computatis omnibus etiam incertis emolumentis & aliis obventionibus communiter percipi solitis per Episcopos assignari soleant &c. Dum autem dicitur ex omnibus emolumentis intelliguntur etiam ea, quæ intuitu Ecclesiæ seu beneficii acquiruntur. Dum dicitur *per Episcopos assignari soleat*: sciendum, quòd arbitrium Episcopi in determinatione hujus portionis congruæ adhiberi aliàs solitum, etsi per ipsam Bullam Pii V. ita limitetur, ut non nisi inter centum & 50. scuta locum habeat, consideratis considerandis circumstantiis, habenda sit ratio moderni temporis, dum hodieum vix centum aut 200. scuta sufficiunt ad honestam sustentationem Vica-

rii, cum olim tempore, quo edita dicta Bulla, sufficerent centum aut 50. ob mutata rerum pretia. Notandum quòd quantitas illa taxata à Pio V. fuerit pro sola persona parochi non item pro capellano & cooperatore simul, si unum vel plures parochianorum vel laborum multitudo exigit, quibus proin specialiter providere tenentur, qui ratione incorporationis seu unionis redditus parochiæ percipiunt, Ita bene Reiffenst. *à n. 21.* Dicitur autem ex incertis obventionibus communiter percipi solitis ad excludendas illas obventiones quæ omninò ex libertate populi dependent, nec communiter, nec ut debita, sed rarò ab uno alterove dari solent, hæ enim in congrua portionem computari nequeunt eo ipso, quòd rarissimæ & incertissimæ sint. Dum contra recte in eam computari possint eæ, quæ communiter, & ut consuetudine debita percipiuntur, ita ut à parochio etiam peti possint, ad eas dandas populus ab Episcopo compelli; estque ratio hujus posterioris sententiæ, quòd, ut expressis verbis Pius V. *in cit. Bulla §. 2.* Ideò beneficia etiam curata fuerint unita & incorporata collegiis, capitulis, monasteriis aliisque locis piis, ut honestius & competentius subsistere possent, adeoque inde recipiendo emolumentum incumbenti illis onera facilius supportent, officiaque & opera ab iis præstati debita peragant. Unde si non nisi fructus certi in portionem congruam computari possent, sæpe parum aut nihil emolumenti ex beneficiis unitis haberent, ac ita uniones & incorporationes tales frustrarentur sine suo. Ita Reiffenst. *h. t. n. 17.* Neque dici potest, quòd ex incertis haberi non possit congrua certa, qualis esse debet Vicarii. præsertim perpetui constituti in Ecclesiis unitis; cum licet tales obventiones respectu certi & determinati temporis aut quantitatis, tamen ad aliquam saltem certitudinem computatis tribus aut quatuor retro annis reduci ita possunt, ut Vicarius de honesta sua sustentatione moraliter certus esse queat. In qua tamen reductione non debet summa, sed media vel infima quantitas, quæ tribus aut quatuor annis obvenire solita est, computari Reiffenst. *n. 20.* de congrua hac portione Vicarii plurima vide apud me *in foro benef. part. 1. à quest. 123. usque ad quest. 129. & in Indice V. congrua.*

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

Titulus hic (ubi etiam de correspondente juri patronatûs, præsentatione & Institutione) fuisse & accurate à me tractatus & explica-

tus *in foro benef. part. 2. à quest. 11. ad quest. 197. quò lectorem remitto.*

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procurationibus.

Quest. 939. Quid & quotuplex sit census.

Resp. ad primum: census, præteritis minus ulstatis ejus acceptionibus, sumitur primò, generalissime pro omni eo, quod annuatim in certa summa seu quantitate præstat alteri ut cum Host. *in sum. h. t. n. 1.* Pirh. *ibid. n. 1.* Secundò magis specialiter pro pensione annua, quæ vi contractûs, quo res alicui concedi-

tur pleno jure, nimirum translato dominio directo & utili in accipientem, reservatur, sive ex fructibus, sive in pecunia, sive in aliqua re æquivalente præstanda veteri domino Barbol. *ad p. 2. h. t. n. 4.* Molin. *tr. 2. de just. d. 381. n. 2.* Tertio pro annua pensione, quam præstat emphyteuta in recognitionem domini directi, qui & canon appellatur, Pirh. *l. c.* Quarto, pro redditu quem solvit annuatim colonus vel etiam inquilinus ex contractu locatio-